



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XXII. In Titulum XXII. De Collusione Detegenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

QUÆSTIO XXII.
IN TITULUM XXII. DE COLLUSIONE
DETEGENDA.

1108



Rimen Collusionis, est affine crimini falsi, cum & illi quædam falsitas insit. Nam colludere, in iure dicitur, qui aliud agunt, aliud simulant, quod ipsam falsi specimen habet. *Collu-*

luso igitur inter Autorem, & Reum est latens, & fraudulenta conventio, quâ interveniente delicta quandoque manent impunita; ut si Reus videns se ab Actore superatum iri, cum eo conveniat, & 100. promittat, ut veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat. Hæc *collusio* committi potest tam in causis civilibus, quàm criminalibus; tam in temporalibus, quàm spiritualibus, & Ecclesiasticis; & tam per partes principales (nimirum Actorem, & Reum) quàm per procuratores, & Advocatos. Et quia frequenter fit, ut accusatore desistente, per inquisitionem Iudicis factam ex officio, collusio partium detegatur, ideo hic titulus inscribitur: *de collusione detegenda.*

Ex hoc colliges, quòd Accusatore ab accusatione desistente Iudex ex officio possit inquirere super illo crimine, præsertim, si videat accusationem esse suspectam propter collusionem, ut dicitur c. 1. h. t. & ideo etiam absolutus à crimine per sententiam definitivam, potest super eodem ab alio accusari, si prius doceat de collusionem primi accusatoris, Iudicis, testium, vel Tabellionis, ut notat Barbosa in cit. c. 1. 2. & 3. Dixi, *si doceat de collusionem.* Nam hoc delictum non præsumitur L. *Merito*, 51. ff. oro socio; quamvis sit difficilis probationis, quia clam & occultè committi solet, c. *quando*, 7. de divort. Et ideo abso-

lutio, per collusionem obtenta, non impedit, quòd minùs Reus iterum impetatur; id, quòd colligitur etiam ex c. *In tantum*, 9. h. t. ibi: *mandamus, quatenus de hujusmodi collusionem, ac corruptionem constiterit, ex in regno super præmissis, & aliis, alioquin super novis duntaxat inquiratis.* Colludens autem in causa beneficii (ut si per collusionem constituat beneficium censuale, vel pensioni subiciat) beneficio suo privandus est, ut dicitur c. 3. h. t. Pensio autem beneficio per collusionem imposita nulla est ipso iure, sic Braun. h. t. in fin.

Ratio ulterior est, quòd per collusionem acta rescindantur, & infirmentur, sicut sententia, quâ quis, cum esset servus, vel libertus, per collusionem à Patrono factam fuit ingenuus pronuntiatus, ut constat ex L. 1. & toto tit. ff. h. t. Hoc autem casu proinde inefficax est sententia, ac si nulla res esset indicata, L. *Cum non iusto*, 3. ff. eod. L. *Præses*, 5. C. de pignori- bus, & generaliter loquendo sententia per collusionem lata non præjudicat, L. *Arrianus*, 27. C. de liber. causa; & cit. L. *Præses*. Ex hoc autem sequitur, qui mediante collusionem obtinuit sententiam absolutoriam à crimine, quòd verè patravit, denuò accusari posse, & super eodem delicto inquire; Cum talis absolutio sit fraudulenter obtenta. Unde quando dicitur, *ignoscendum ei esse, qui sanguinem suum redemptum voluit*, L. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sentent. procedit solum, ut *colludens ex S. C. pro convicto habeatur*, non autem, ut à pena omnino immunis sit, ut habetur L. *ult.* de Prævaricat. Hinc esto abolitione sopiatur crimen, non tamen perimitur.

QUÆ-